Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2293
Quelle:
Copyright:

celebris *Remorum* Archiepiſcopi, qui annum 882. ſupremum habuit, *Epiſtolam* ſive Tractatum XII. Capitibus conſtantem ad *Carolum Calvum* Regem, in edit. *Opp.* a *Jac. Sirmondo Pariſiis* 1645. f. procurata T. II. p. 29. inſcriptum: *de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis.* In *Codice* vero ita inſcribitur et orditur: *Domno Karolo Regi Glorioſo. hincmarus nomine. non merito remorum epiſcopus. ac plebis dei famulus. mitto uobis ſicut iuſſiſtis epiſtolam beati gregorii. ad regaredum regem wiſigotborum* &c. Haec porro Epiſtola, quae inter *Gregorianas* L. VII. n. 126. eſt, Noſtroque opportunitatem praebuit *Carolo* omnia chriſtiani Hominis officia utiliter explicandi, in edit. *cit.* Caput II. conſtituit; *Codex* vero absque ulla diviſione decurrit usque ad Perorationem: *Hec Rex Clariſſime Atque kariſſime* &c. quae ſola novum verſum inchoat. Illud ſingulare, poſt ultima C. I. verba, atque adeo ante *Gregorii* Epiſtolam *fol.* 8. p. 2. intruſas eſſe a Librario Lineas 11. de variis, quae numero *ternario* definiuntur. Ita: *Tria ſunt que ducunt hominem ad regna celeſtia* &c. Ceterum lectio *Codicis* proba eſt. *Fol.* 1. p. 2. *eoque bonum deſiderium* pro *ea quæ bonum deſiderium*, *Fol.* 2. *ſed per miſericordię opera exaltat* pro *ſed miſericordiæ opera exaltant*, reperio. Ultima cum edit. conſonant. De Autoris Actis et Scriptis poſt alios tractat *Hiſtoria lit. Franciae* T. V. a *pag.* 544. et nos aliud *Epiſtolae* praeſentis exemplum dedimus *Cod.* ſeq.

II. *fol.* 100. accedunt *Preces* quaedam ad Jeſum Chriſtum, Deum, et B. V. Mariam; duae item *Sequentiae*, quarum prior incipit: *Pater da per uerbum nobis ſeptiformem ſpiritum* &c. notatis a latere Scripturae locis, ad quae alluditur; alterius argumentum eſt Mors Chriſti in Cruce, et initium: *Magnificent confeſſio atque pulchritudo Magni regis nouam in cruce uictoriam* &c. Utraque videtur inſignis vetuſtatis.

III. *fol. ult.* ab alia manu adſcripti ſunt Canones ſive *Capitula ex Decretis Kaliſti II. pape* numero quatuor, nempe de Simonia, Inveſtituris, Poſſeſſionibus eccleſiaſticis et de Dignitatibus, beneficiisque, qui ad Concilium *Remenſe* a. 1119. celebratum pertinent, et leguntur T. XII. *Collect. Labb. Concill.* edit. *Venet. col.* 1291.

DCX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. 4. eleganter ſcriptus et rubricis diſtinctus continet: I. *Epiſtolam Hincmari Remorum Epiſcopi ad karolum Regem.* Eſt hic *Carolus* cognomine *Calvus*, quo favente Scriptor noſter Seculo IX. celeberrimus e Coenobio S. *Dionyſii* ad infulas *Rhemenſes* evectus eſt a. 845. easque geſſit usque ad an. mortis 882. In editione *Opp.* ejus, 383